EULOGIUM MEDICUM,

SIVE

ORATIO ANNIVERSARIA HARVAEANA,

HABITA IN

THEATRO COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM.

Die xviii OCTOBRIS, A. D. 1760.

1184 i. 18.
13

LONDINI,
Proſtant venales apud S. BAKER, in *York-Street*, *Covent-Garden*.
MDCCLX.

ENCOMIUM MEDICUM,

SIVE

ORATIO ANNIVERSARIA

HARVEIANA,

HABITA IN

THEATRO COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

Die xviii [illegible] D. 1766.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

LONDINI,
Prostant venales apud S. Baker, in Pat-Noster Court-Garden.
MDCCLX.

PRAESIDI,

Sociisque Medicorum Collegii *Londinenſis*,

Ea qua par eſt Obſervantia,

Sequentes Pagellas,

Ipſorum juſſu prelo mandatas,

Sacras;

Simul autem,

Hòcce qualecunquè Amicitiae pignus,

Doctiſſimo ſuo amico, integerrimae Probitatis,

JACOBO WILSON, M. D.

Soli aequo Virtuti,

Propter felices Animi dotes,

Omnigenamque eruditionem chariſſimo,

D. D. D.

Richardus Brocklesby.

P R A E S I D I

Supremi Medicorum Collegii Lauream,

Ea qua par est Observantia,

Sequentes Pagellas,

Aphorismi nullo prolo mandatas,

Sacras,

Simul adeln,

Hocce qualecunque Judicium pignus,

Doctissimo tui amici, integerrimae Probitatis,

JACOBO WILSON, M D.

Soli sapto Virtuti,

Propter felices Animi dotes,

Omnigenamque eruditionem singularem,

D. D. D.

RICHARDUS BROCKLESBY.

EULOGIUM MEDICUM.

ANGLORUM præclara, bello, terra marique nuper ubique geſta, et ob imperium facinoroſa Gallorum, totiuſque fere Europae certamina, ſibi plerunque infructuoſa, plurima aut etiam alia argumenta ad vitam civilem et ad artes ejus ſecretiores ſpectantia, dilucide enarrata, magis quidem quam hodiernus Sermo, Corona maxime Spectabilis! auritos hominum animos impellant, et Auditores ad ſuam partem alliciant, maximamque oblectationem imprimis ſecum adferant: Sed in hocce theatro, coram liberalibus et ingenuis maxime viris, nil, me judice, aequius, nihil libero proboque Viro gratius eſſe poſſit, nec quidquam, Mediusfidius! Veſtrum cuique magis decorum videri debeat, quam hoc ex loco Memoriae honorem doctiſſimis noſtris anteceſſoribus conſervare, et quotannis redintegrare, qui de Civitate, qui de patria, qui de orbe literato, imo, qui de ipſo genere humano, quam optime meruere utilibus a ſe inventis, et artibus ad humanae vitae felicitatem excultis, ac qui ultra fictae faſtum famae, aut inanem fortunae ſplendorem, ſub exemplo ſuo, per tranquillae Vitae mortalitatem, ipſi innocui poſteros praemonuerunt, qua potiſſimum via ad Gloriam non erubeſcendam niti deceat.

Juniori tamen praecipere, qualis eſſe debeat Medicus, quidve in omnibus ſit officium, oneroſum ac prope ſuperbum eſſet; laudare vero optimos, et mores horum ſummatim quaſi in tabula depingere aut adnotare, atque per hoc,

omnibus velut e Specula lumen, quod ſequantur, oſtendere, idem Utilitatis habet, Arrogantiae nihil.

Eo igitur libentius et hoc a me factum vellem, praeſertim cum mandatam ſibi qualemcunque in literis provinciam, timide fugere, aut ignaviter devitare, haud ſemper ingenui eſſe pudoris, ſed et *aliquoties ſtolidae Socordiae velum*, perſpicaciores Viri quidem conjicere poſſint. Sed ego Pietatis hujuſcemodi amantiſſimus, aſt eloquentiae frugalitate contentus, ſermone expreſſos optimos homines, coram quidem adeſſe vellem, et candidos ipſos judices intereſſe Solennitati, dum Praeſidis juſſa quodammodo exequi, rei medicae, et eximiorum eulogio medicorum, potius, quam ſtricta oratione ſim conaturus.

Poſt everſum penitus Romanorum imperium, per longiſſimam annorum ſeriem truculenter inter arma, et urbium vaſtationes, homines agebant Vitam, dum ipſorum plurimi interea deſidioſiſſimam, pecori ubique conſimilem, et inertiſſimam conterebant, donec renaſcentes Graecorum literas, a Barbaris recuperatas, medicinalium diligentia Virorum in Italiam denuo, majori ex parte revocaſſet; citiſſime, ſemper novorum cupida Gallia adjuvit, et laborum patiens aluit Germania, deinceps, Artium Magiſtra Britannia et Scientiae fauſta Nutrix, repullulantes in ſinu fovit coluitque.

Nec vetat profecto Verecundia dicere, haec praecipue a noſtrae Artis cultoribus incepta et peracta fuiſſe. Juris namque erat prudentiae hominum detortos mores aut obliquos ad normam reducere ſeu praevenire, Sacrorum vero Antiſtites, Romana ſuperſtitione ignavum pecus, ſat laborum habuere ſuperque, intra myſticos olim Caeremoniarum rituumque ſuorum limites ſeſe cohibendo. Interea Medicinae tamen ſtudioſos juvabat, ſemperque decebit, Artium late patentium ordines, remotaſque aeque ac proximas rerum cognationes et leges generales ex amplo ipſius Naturae volumine

lumine artificioſe petitas, animis perpetuò revolvere et perpendere.

Nulla igitur hominum Secta, vel Philoſophorum ſchola per terrarum Orbem, Medicinae filiis majora in commune Doctrinae aerarium contuliſſe deprehendetur. Hoccine renuat Scientiarum reſtaurator Verulamius, Medicinae potius quam Juris Amplificator? Id tamen arguit facultatum humanarum quaſi Stator perpetuus et Moderator, Johannes Lock.

Neque non in Anglia, Medicorum Collegium heic Londini palmam inter primos, ſub Linacro fundatore, eximio Viro, Parente veſtro, ejuſque Succeſſoribus, jure merito ſibi vindicare videtur. Quorum itaque in laudationes fuſius quodammodo deſcendentis ſermonis ne taedeat aures, obſecro et obteſtor.

Linacro ſcilicet hortatore, auctore, interceſſore apud principem Muſis Amicum et bonarum Artium non indoctum fautorem, privilegia, honoreſque noſtratibus conceſſit Henricus Angliae rex ejus nominis octavus.

Hoc auſpice, O praecellentis Judicii Linacre, eruditorum medicorum Collegium inſtituiſti, exterminato, tum temporis, empiricorum rudium et illiberalium Virorum grege profano: Nec quidem iſtiuſmodi homuncionibus Magnatum fiduciam aut Principum etiam adyta invidebas, dummodo a te in Societatem admiſſorum Scientia, Probitaſque effulgerent incontaminatis honoribus.

Solos nempe indoctos aut improbos averſatus Vir ipſe optimus aperto marte fudit, fugavitque; bellum namque ſervile, Doctrinae ut Armorum dedecus, ex medica ſua republica in perpetuum exulare ſtuduit. Verae tantum Laudis guſtatum maxime voluptarium habuit nempe Linacrus, qui quanquam et ipſe Oxonii fontibus ſe totum proluiſſet, omni tamen amoto faſtidio aut de ſe nimia arrogantia, exteras re-

giones minime quidem dedignatus eſt adire, quo melius eloquentia perpoliretur, quo ſcientior, doctiorque identidem reverteretur, ut inde apud ſuos, legiſlatoris optimi laudes reverſus demum mereretur. Uſque adeo nemo vivit, qui ex ſe omnia ſapit, quive omni ex parte ſibi, ſuiſve ſolis confidere debeat.

Linacrum Apollinis et Muſarum ſimul omnium Sacerdotem, potius quam ipſum ſanctiſſimum Chriſtianum ego certe hodie invoco, ut modo, quadam ſua Sermonis latini puritate, paucis aſpirare dignaretur, quae de Caio proferenda eruditiſſimo ſane Viro, ſibi doctrina et dicendi venuſtate vix fecundo, nunc ordine inſtant. Fama autem Caii inter quotquot medicinam facientes, aeque ac doctiſſimos Oxonii et Cantabrigiae alumnos, in ventura etiam aeva creſcere promittit. Erga reconditas literas hujus quidem teſtatur amorem, et in artes ingenuas ſempiternum Viri deſiderium, ſuo nomine Cantabrigiae inſignitum literatorum Gymnaſium; idem porro noſtri teſtantur annales, olim ab eo compoſiti, eloquentia ſane et conſummatiſſimo referti judicio: Cujus profecto viri in memoriam, libere, quod ſentiam, ex ſcriptis ipſius effari libet, quod nullum Artis vel Naturae munus Galeno aut veterum doctiſſimis Medicorum familiare, illi omnino abfuerit, cui Lectio, Memoria, Cura, Cogitatio, Ratio, Diligentia ſumma prae omnibus fere hominibus ineſſent.

Alienis rivulis ille Tullius alter agros irrigavit proprios, exoticiſque Scientiarum plantis patriam vernare geſtiebat, exultabat. Una nempe cum Europae literatiſſimis Viris luſerat neotericis veſtigia figens Caius, celebriores quotquot Germaniae et Italiae bibliothecas perluſtrans, ut reconditum quicquid boni latenſque ibidem, in hominum emolumentum commune produceretur. Intimos praeterea corporis Animalis receſſus ſibi etiam patefieri ſtuduit, diſſectionibus Machinae

chinae humanae ad annos pene viginti ſedulo incumbens. Tanti nempe apud honeſtos viros olim facere medicinam aeſtimabatur. Inclytus igitur Doctrina, ſpectabilis exemplo, et exquiſitiſſima morum elegantia ornatus Caius, Digniſſimus ipſe erat, qui maxime eruditorum praeſes eſſet Virorum, literatos etenim omnes, concives aut advenas, nullo diſcrimine facto, Amicitiae foedere complexos arctiſſime ſibi devinxit, et celatum Modeſtiae ingenium amice pertentavit, excoluitque, ſed et privilegia Collegii, et honores malo omine aggreſſos ab ineruditis hominibus et iniquis acerrime defendit, et viriliter ſuſtentavit apud Patres Populumque, Vir hicce propter ſingulares animi dotes et infinitam fere humanitatem admodum Venerabilis. Talis igitur vixit, taliſque poſt multos annos tandem et communi omnium fato ſuccubuit, nunquam ſatis pro ſuis meritis hoc ex loco deflendus; cujuſmodi illuſtris Spiritus, ſi modo nos noſtraque ſemper regiſſet, nemo ſane hodie lugeret, ſordidis miniſteriis foedatam bonarum artium principem Medicinam, quo tempore, non ſine multa hominum pernicie, et graviſſima Britannici Populi ſtrage, auſit Medicinae rudis quiſque tyro, nutantibus ſuperis, impune mortem agere, dum illiberali cuilibet opifici, experimentis hominum periculis inſtitutis, quaeſtum occipere detur, Vitae et Libitinae ſeſe praeſidem conſtituendo.

Sed et haec inter gravia, Anatomiae inſtauratorem apud nos, Caldwellum, hodie oblivioni devovere minime deceret, qui utiliſſimam Linacri Societatem publicis praelectionibus primus (adſcito in honoris partem Nobili Lumleio) ipſe Praeſidens in vita cohoneſtavit. Experti etenim Viri norant, quam arcta Medicorum rebus anatomicis ſit connexio, inde ex hoc theatro penes omnes dudum erat in commune, adſcientiae uſque perfectionem, conferre, in communem omnium uſum. Plauſus igitur perennes, et meritos Caldwello honores.

nores in omne aevum parentet quiſque futurus etiam Medicus, horumce beneficiorum non inſcius; eo nempe inceptore monſtrante viam, evenit, ut elapſo ſaeculo inventorum extiterit non modo Copia, ſed et quamplurimi Viri, Natura, exquiſita doctrina, et ſingulari induſtria admirabiles emicuerunt; ſupra benignum vero Gulſtonum, ſupra te ſagacem Gliſſonum, ſupra omnes denique etiam Entium, Scarburgium, Lowerum et quotquot doctiſſimos alios, ſummo honore concelebrandus eminet hoc die Gulielmus Harvaeus.

Ille nempe Medicorum primus, Verulamii Philoſophia eruditiſſimum ſe ſcriptis monſtravit, mentiſque exercitationem, ab abſtruſis Scholarum formis et verbo tenus qualitatibus, ad nova perficiunda experimenta ſedulo revocavit, et ſuper his doctrinam ipſe primus luculenter, de Sanguinis circuitu, omnibus nunc receptam promulgavit; ſed et propriis experimentis, quam ipſe invenerat, perfectam theoriam ſtabilivit, et rubiginem Antiquorum Operum, inuſtumque ſqualorem perfricuit, atque aevorum praeteritorum caliginem, ab omnium oculis, miro ſane Artificio deterſit, errores antiquitus demiſſos minime contentus refutando; ſed magna Veritatis Vi, etiam ex doctorum fere omnium mentibus ipſe adhuc ſuperſtes reprehenſionis materiem explodebat penitus.

Nec eſſet cur Doctorum cuipiam injurioſum fore timeam, dicere auſus, Harvaei libellum de *cordis motu*, verae philoſophiae pluribus ſeminibus ſcatere, et longe ultra in augmentum humanae mentis imperii profectum eſſe, quam jactatam Authorum farraginem, circa quam, ad hodierna uſque tempora, plurimorum animi verſantur. Sed quidem lugenda eſt Antiquitatis, quae apud omnes valere ſolet, venerata opinio, quod inde, etiam alia a ſe inventa conticuerit Harvaeus, ne adeo nova et inaudita eſſent, ut non ſolum ex quorundam invidia, malum ſibi metueret, ſed ne inimicos

omnes

omnes homines haberet. O mirandam viri modeſtiam, et patientiam ſupra fere humanam, ex cujus quidem autographis literis, ſero nunc tandem patefit, nobiliſſimum inventum in libello ſemel editum, in Auctoris cordatiſſimi damnum vertiſſe. Diris nimirum temporibus ſuis apud aemulos ſordebant laudes ejus honoſque, et, quod pro regia optimi Patroni majeſtate ſteterat ipſe, inde apud dementatum plane populum ſpoliatus bonis, invidia prope opprimebatur. Divinus attamen poſtea in veritatem vicit ejus amor; et, quamquam pauciſſimis conceſſerit Natura, pluribus ſimul in rebus antecellere, Harvaeus Senex immenſos praeterea theſauros, ſagacitate, literis, ſapientia denique repletos, in exercitationibus *de Generatione Animalium*, multos poſt annos in publicum edidit; perenne quippe capiebat oblectamentum admodum venerandus ille Senex perpetua diſcendi aviditate, et indies etiam ad ſupremum uſque diem invenit in ſinu Naturae, quod ultra expetendum eſſet. Plurimorum vero Doctrina pacis eſt comes, otiique Socia, et jam bene conſtitutae reipublicae alumna quaedam; Harvaeus autem convulſa miſerrime inteſtinis bellis Anglorum natione, curarum et aegritudinis ſolamen quaeſivit, Democriti inſtar, rerum naturam perſcrutando alacri ſemper animo.

Dii boni! Quot in Medicina ante obſcura dilucidentur, et quanta in arte noſtra dubia ſolvantur ex ipſius inventis? quam praeclara in Vitae et Mortis hiſtoria profecerint Harvaei ſolius labores? quam contumaces terrae filios, aut qualia errorum monſtra debellaverit Victor ille Virorum? Mecum animo verſante, campus aperitur ſpatioſiſſimus, ubi longius percurrere, latiuſque expatiari adeo poſſem, ut ad haec omnia ſingulatim depingenda, Vita ipſa utcunque longiſſima vix tamen ſufficeret. Sed in grave reipublicae literariae damnum, tumultus tum temporis civiles, et inexpiabile bellum,

bellum, *fanaticae* religionis oeſtro, ſimulque divino libertatis civilis deſiderio perciti Britanni mutuo inter ſeſe urgebant: Sed heu manus turbae rapaces, egregii viri adverſaria, multorum annorum laboribus parta, et obſervationes manuſcriptas, (ipſius domo expilata,) ex muſeo ſummanabant et combuſſerunt. Concitatae namque plebi non judicium, non conſilium ineſt, quae ex veritate pauciſſima, ex opinione fere omnia aeſtimare ſolet. Haec autem de Harvaeo, virique ſcriptis, non hodie alienum, nec huic coetui Sociorum, pariterque doctorum hoſpitum ingratum fore exiſtimavi. Neque me facti poeniteret, etiamſi haec retuliſſem, non ad Collegii Socios, non ad amicos noſtros, non ad homines ingenuos, non denique, ſi ad omnis eruditionis expertes; pulcherrima quoniam Viri inventa, in omnium ſenſus adeo incurrunt ſimul atque propoſita, ut aeque eruditum Hominum genus, et Populus plane barbarus in plauſum eorum coirent neceſſe.

Munificentiam poſtremo, extremamque Harvaei et Hamaei Liberalitatem, erga futuram etiam Medicorum rempublicam, in omne aevum, dies hicce quotannis admonebit, idem etiam parietes veſtri perpetuo commonſtrabunt; ſed neque famam domeſticorum tantùm marmorum teſtabitur inſcriptio, ſed ſuorum operum memoria, in exteras gentes egreſſa, late potius apud animum cujuſque ingenui per terrarum Orbem, quam apud propriam Urnam marmore vel aere inciſam utcunque, in omne venturum aevum ſemper hoſpitabitur.

His igitur (qui artibus ingenuis rationalem ita promovere medicinam) jam laudatis, (ſit modo venia dictis) quotidie ſanando aegros exercitatorum laudationes quorundam ſubjungere juvat. Ea tamen eſſe inter ſtricte rationalem Medicum et clinicum videtur differentia, quod ille, ſemper in aprico Sole, flores valde dulces late carpat, ac voluptatum amoenitates et campos viridiſſimos ad libitum legat aut pervagetur

et

et ſummopere laboribus delectetur ubique. Hic vero, veluti in ſodinis damnatus, anteceſſorum Veſtigia inſequatur, aut viam de ſilice pro ſe exaſciet quiſque oportet, nec ſaepius in vitae itinere diem integrum tenebris minime offuſum intueri detur, ſed ſcopulos potius offendat, et liberali utpote Viro ingrata, ſemper in via inſtent aut occurrant.

Practicorum attamen cohortem, digniſſimus qui totus eſſet noſtras, Sydenhamus, plurimorum conſenſu caeteris fere omnibus praeponendus, ducere videtur. Certiſſime quidem hic ille erat, qui non Ariſtotelicis Elementorum formis, aut occultis rerum qualitatibus, non vaniloquorum chemicorum deliramentis, nec ſuper ſpecioſa Machinarum ſcientiae in re medica ſterilitate fabulam condere voluit; ſed haec omnia vel oblivioni devovenda eſſe, vel ſaltem ſtudiis popularibus permittenda, veris Medicinae filiis alias curſum dirigentibus, dux ipſe praemonſtravit. Ante tua tempora, O major aemulorum invidia Sydenhame! Medici tanquam ex praealta turre, et a longinquo, naturam morborum adſpicere, et circa generalia nimium ſeſe occupaſſe ſolebant. Tibi vero patienter ad particularia deſcendere placuit, et ultra modum quanquam eſſes tortus quotidianis muliercularum ineptiis, inter aemulorum invidioſas in opere navando obtrectationes, et curis humanioribus quamvis ſaepe obrutus circa aegros languentes, aut morbo fere devictos, perſpicaci tamen ac vere philoſophico animo ad hiſtorias Morborum deſcribendas ac Naturae ipſius Artificia in febribus praeſertim invenienda, more quidem Daedaleo totum temet accingebas. Tu nempe differentias rerum, experientiae trutina, ſerio, diligenter, attente, non excogitare ſed examinare; non percurrere ſed perpendere ſtudebas! Invenerat Sydenhamus Medicinae praxin ante ſua tempora puerilem modo ſcientiam, ad garriendum fabellas aniles, et nugas ſubtiles promptam, generationi vero invalidam ac prorſus immaturam: cujus quidem rei comparebit tibi veritas,

advoces licet in partes tuas, Duretum, Jacotium, Hollerium, Ballonium, horumque ſimiles exteros ſcriptores, qui Hippocratis etiam praecepta poſt longiſſimam deſuetudinem inſtaurare pro viribus conati fuerant. Ante Sydenhamum autem, eximium nihil praxis Medica repertis priſtinis fere adjecerat, nulla ni caſu et forte fortunâ genere humano digna incrementa. Medici quod prope omnes, ſicut olim pedarii Senatores, in ductoris ſententiam coiverant: Sydenhamus vero commenta opinionum delere et Naturae judicia, ac ipſa reperta confirmare moliebatur. Quantum ad haec ille ſolus profecerit, teſtantur febriles aeſtus ſua arte reducti in ordinem; teſtes itidem omnes medicos provoco, quantum variolas curando refrigerio Sanguinis, et propter traditas cautelas, uſumque et laudationes opii, illi ante omnes alios debeamus. Sed corticem Peruanum nobiliſſimum fere in arte remedium, coelitum etiam dono dignum, Sydenhamus idem, et veſtras Mortonus, quoad praxin nulli prope ſecundus, uberrima ejus adminiſtratione in uſum revocaverunt. An igitur dominatio rerum, flagitiis primò quaeſita, falſis amicitiis ac pravis artibus ut plurimum ſuſtentata, horumce beneficiis, aut felicitati minime dubiae ipſorum conferri poſſit?

Sed cum hiſce digniſſimis viris ſumma laus debeatur, Hodgeſii humaniſſimi conſimiles virtutes minime ſilentio praetereundae nunc ſunt. Dum peſte gravi inclementer hujus civitatis afflictae domus omnis funebri fere ploratu reſonaret, et plurimi homines ſpe vitae deſtituti, morbo intenti miſere decubuerint, eodemque ſaepe in dormitorio mortuus alter, ingemens et alter ſuſpirio mortis, lugubri ſpectaculo et modis plane miſerandis animas efflarent.

Triſtis haec rerum facies a medendo plurimos et ab aegrorum miniſterio quam plurimos abſterrebat, at non Hodgeſio, non Gliſſono, aliiſque noſtratibus proſtravit penitus ſpem, attamen non ſine graviſſimo ipſorum ſane mutuo

affectu

affectu animos quidem erexit, ut humanorum atrociſſimum malorum Peſtis averteretur ſuis remediis, opem ferendo, aegros hilari vultu inviſendo, et ſuavitate verborum eos demulcendo et vota operamque ſuppliciis muliebribus praeſtantiorem pro hominum ſanitate faciundo. Hodgeſius inſuper ad novos caſus veterum conſiliorum rationibus prodeſſe volens, aureum de Peſte tractatum in poſterorum uſum conſcripſit, ex quo innoteſceret, quemadmodum venturos id genus morbos medicamine oppugnare conveniret.

Quales igitur et a nobis non ipſe mereatur honores, qui tot ſubiit pericula, qui tantis ſeſe objecit diſcriminibus, qui tam gravia et injucunda propter humanitatem perpeſſus eſt, qui tantas demum moleſtias propter benevolentiam ſuſtentaverat. Hic tamen idem, heu! ſicut in depictis tabellis Beliſarius, obaeratum ſeſe, ab amicis deſertum, et inopiae miſeriis adopertum, adveſperaſcente jam vitâ, tandem experiebatur. Sed moribunda libertate publica alget inter homines ingenii aut virtutis amor.

Animi vero oculos advertatis nunc quaeſo et ad alterum umbratilem, ſed quidem antiquis moribus virum, laborum emolumentis inique (dum vixit) exciſum, quae hominum vulgus immeritis, ampullata verba jactantibus per omne tempus impenſe prodigit. Arburthnotus autem noſter, nullo modo famae aut opibus oblique inhiabat, probus idem ac Muſis chariſſimus omnibus, in quorundam conventus, qui contra praeſtantiores ſeſe virtutibus contendere ſolebant, minime conſcriptus erat; ſed hujuſmodi Homunciones, proper morum diſſimilitudinem, indotatum optimum virum, odio potius vel neglectu habuere, quod animo, facetiſque ſermonibus contempſerat ipſe vafram eorum aſtutiam, quae religionis fictae ſeveritatem induta, triſtem vultûs auſteritatem, et dictis factiſque gravitatem inepte faſtuoſam prae ſe ferebat. Sed Scotus ille generoſiſſimus, ſe-

lectam ducens manum, ad honorem, per virtutis et bonarum artium penetralia recto tramite adibat, quid ſentiret, vel de ſe diſſentiret malignum hominum genus, nulla prorſus habita ratione.

Neque tamen boni doctique viri plauſus tantum inanes meruerunt ſemper, ſed quidem ſuis meritis reſpondere favorem aliquoties et iidem invenere. Hoc nobis monſtret Freindus ille noſtras, vir, quanquam prope dixeram ad torvitatem gravis, ſed tam arte quam facundia inſignis, cujus porro in honorem dicere liceat, quod de Carbone olim Tullius, " eſſe " eum oratorem canorum, et volubilem et ſatis acrem, atque " eundem et vehementem et valde dulcem, ſed addendum eſt " in Arte diligentem et in exercitationibus commentationibuſ- " que multum operae ſolitum eſſe ponere." Quos autem in Patriae auguſtiſſimo Senatu plauſus tulerit? Quodve ſuorum gaudium fuerit in comitiis conſurgente et aſſiſtente Freindo? Qualis denique Viri etiam in aemulorum judiciis Veneratio? Haec praeſertim publici annales luculenter teſtantur. Sed de patria optime meritus Civis domi militiaeque, ipſe eruditiſſimus medicam ante alias artem excoluit: Inde acutiſſimus prodiit morborum indagator, quo nemo ſeverior Judex, multa quippe hac in urbe inaudita, in caſtris invenerat, multa Medicus ipſe caſtrenſis philoſophice tentaverat, permulta ibi viſa recoxerat ipſe ſagaci animo. Utiliſſimis igitur obſervationibus refertus, quid valeret corpus humanum, quid ferre recuſet, detexit; ſed acerrimus inde ineruditorum Medicinam factitantium hoſtis rediit ad ſuos, at in Artis dignitatem coram magnatibus, proceribuſque, juſtior Freindo nemo Medicus unquam deinceps vixit ad noſtra uſque tempora. Fatum Freindi praematurum lugete igitur quotquot adeſtis Artis in genere Amatores! et lugubri huic noſtro eulogio faveatis omnes, precor; ſolers namque ipſe

Modorum

Modorum deſuetos planctus dudum renovavit Freindus in defunctorum Medicorum et ſuae artis honorem.

Audacem porro periculis Jurinum, et felicem, et bonum, et ſapientem honore multo etiam hodie compellabo, cujus apud omnes auctoritatem teſtatur matura variolarum inſitivarum curioſitas, inventum noſtra in arte nulli ſecundum. Omnis vero nunc in choreis Venuſta Virginum facies, oratione Hyperidis ſuavior omni, feliciſſimam Viri temeritatem (ſi alloquaris) non ſine rubore plaudit. Sed et ſaucius curis juvenis ſponſus, aut dubia forma divinae prope feminae inquietus, prae omnibus laribus, pietate proſequi debet Jurini manes; ipſe quippe rationalium Medentium primus lubrica gaudia, certiſſimam ſervandi methodum inſtituit confirmavitque.

Sed et hac arrepta occaſione, libere de Cultoribus, quae ſentiam in Artis honorem effari non dedignabor. Inter tot illos ſcilicet umbraticos doctores, quorum plurimi propter ingenium fato etiam meliori digni, aliquoties circa magnas civitates inedia prope contabeſcant, inveniemus fere neminem Vulgi errores in re medica ſuo nomine foviſſe, nec lucri aut Philautiae gratia, circa Panacea remedia mendacia diſſeminaſſe eruditum quenquam (quod hiſce facillimum quidem eſſet) niſi rariſſime detegemus. Contra, neque reſpuerunt, aut diu liberales ac veri Medici oppugnaverunt ſincere bona aut re ipſa utilia, utcunque ab idiotis aniculiſve, caſu propoſita aut forte reperta. Certe prae aliis Medicinales Viri ad nummos ſibi corradendos aut ad immeritos ambiendos honores parce ac modeſte ſatis concertant; ſed praeſertim ad reipublicae ſanitatem conſervandam et ab ignorantia defendendam, horum plurimi candore philoſophico paululum inhaerere, et quaſi in Veſtibulo Naturae templi ſeſe ſiſtere ſolent. Sed Creatricis Potentiae in omnibus appetens Mens hominum rudis, ac ſyſtematis penitus expers, quid methodus concinna et rerum lucidus ordo in re quacunque valeant,

quaenam

quaenam in dubiis promittat cauta cunctatio, qualem denique ſeriem poſtulet finis, nullo modo per ſe complecti poſſe videtur.

Jam autem ordine conſcribendus, et eſt in Medicorum ſummopere memorabilium Coetum, horum qui in terris ſuperſtes fuerit decus et Juniorum quotquot eruditorum parens, artiumque omnium Patronus, ubique gentium inventarum, Richardus Meadus civis ipſe, vel Mediceae domus primis et maxime illuſtribus Principibus comparandus. Meadi igitur nomen ingenuis omnibus per orbem terrarum cariſſimi magnificet tota literatorum ubique cohors. O virum maxime celebrandum et merito ſane admirandum, cui etiam ſermo quotidianus et mores in diurnis operibus et philoſophicis conviviis politi et admodum efficaces fuere, ingenium ſemper admirabile, Memoria ad prodigium uſque excellens; in quo uno adunari videbantur ſpiritus Linacri et Harvaei, Sydenhami ſagacitas, aulica etiam Nobilium Comitas, ac politiſſima erga ipſam plebem humanitas, imo omnia (fere dixeram) quae Scientia, aut lubrica popularis Aura potuere, in eo demum ſolo conſummata fuerunt. Ille certe, Apis more, materiem quotidie tam ex diverſorum hortorum quam et agri floribus eliciebat, ſed propria quidem facultate digerebat et inſita ſua virtute vertebat ad uſum. Omnibus namque inſtructus diſciplinis ad abdita morborum penetrabat Juvenis Meadus, apud generoſos multis annis quotidie curabat feliciſſime, eos quo nemo melior flectebat ad ſanitatem; nec tamen hiſce ſolis beneficiis arripuit ſibi immortalitatem, minime enim eum in opere fungendo torquebat ſolicitudo aut Auri ſacra fames. Menſae nempe meminiſſe juvabit aditum, ingenuis omnibus non magis quam optimi viri vultum ſemper apertum, multimoda ibi honeſta ſtudia, eadem quidem ibi proſequi, eadem etiam ibi candide in medium proferre cuique pro votis juvenum erat. Neque Meadi aequanimitatem invidentium ſimultates turbabant, nec

irritae

irritae fortunae fallacis ſpes inquietabant, cui omnia fere ultra votum fauſta ſucceſſerant, ita ut ſuaviſſime fatum naturale ſenio tandem confectus ſubiret. Quis autem omnigenae Virtutis amicis Meado carior unquam in terris vixit civis? At quiſnam Medicus ipſius laudum, ſeſe aemulum poſthac unquam prae ſe feret. Certe talem, per vitam ſeſe geſſit, taliſque e vita exceſſit, ut hujuſce mundi Civem non ſibi ſed toti natum aequus quiſque judex eum ſemper exiſtumabit, tam dulcem autem moriens honeſtiſſimae vitae memoriam ad ſeros poſteros poſt ſe reliquiſſe videtur, unde etiam poſt funera mihi adhuc vivere, et poſt obitum viris omnibus bonis doctiſque ſupereſſe poterit quodammodo ſuperſtes uſque uſque Amicus.

Sed nimium Animis veſtris nolens refricare moerorem ad nuperi Ducis Richmondiae mentionem pauliſper ſiſtere juvat, non quod noſtras, ipſe atavis regibus editus, non quod prole ab omnibus bonis meritò ſemper colenda, fuerit fauſtus felixque, ſed quod et foret inter Artium primarum Principes Princeps et ipſe Patronus munificentiſſimus, inter Aulicos politiſſimus, inter maxime liberales, comis, urbanus facilis et bonorum diligens, ipſe humani generis deliciae dilectiſſimus omnibus.

Sed ut extremum aliquod habeat hic meus ſermo, Pellettum, Plumtreium, Sloanium, Monroum, Hoadleium, et fere innumerabiles alios de nobis bene meritos Collegas inſalutatos hodie in Deorum immortalium coetu reponam. Bene etenim de Societate mereri veſtra, utinam foret mihi, ut illis, Vita honeſtis factis in rempublicam peracta, utilique doctrina imbuta, non Radclivii fortuna ſuperſtite, non Craſſi divitiis redimenda. Fas tantum mihi ſit ex praedictis, vos meos concives ad imitationem eorum excitare veſtro exemplo, veſtra auctoritate, veſtris ſtudiis, ac veſtris omnibus conatibus, ut quaeſitam labore, ingenio, virtute, ac praeclaris omnibus artibus

artibus horumce mox laudatorum dignitatem ſemper in omnibus defendatis, et ſplendide pro viribus ſuſtineatis contra deſidiam, contra invidiam et renaſcentem barbariem, contra ſordidos artis miniſtros, contra impendentes Navi veſtrae procellas naufragiumque.

Haec profecto una et tutiſſima eſſet via, mihi credite, et laudis, et honoris, et dignitatis, et gratiae deſiderabilis, ac ut ſempiternus Collegii ſtatus ſartus tectus conſervetur.